Posuit eum [1] dominum domûs suæ, et [2] principem in omni possessione sua.

[3] Ut erudiret principes ejus secundùm voluntatem suam, et senes ejus sapientiam doceret.

Et ingressus est Israël Ægyptum, et Jacob advena fuit in terra Cham.

Et crescere fecit populum suum nimis, et roboravit eum super hostes ejus.

Convertit cor eorum ut odio haberent populum ejus, ut dolosè agerent contra servos illius.

Misit Mosen servum suum : Aaron quem elegit sibi.

Posuit in eis verba signorum suorum, et portentorum in terra Cham.

Misit tenebras et contenebravit, et non fuerunt increduli verbis ejus.

Commutavit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum.

Ebullivit terra eorum ranas : in cubilibus regum eorum.

Dixit, et venit musca omnimoda : [4] scinifes in universis terminis eorum.

Dedit pluvias eorum grandinem : ignem flammantem in terra eorum.

Et percussit vineam eorum, et ficum eorum : et confregit lignum finium eorum.

Dixit, et venit locusta, et bruchus cujus non erat numerus.

Et comedit omne fœnum terræ eorum, et devoravit fructum terræ eorum.

Et percussit omne primogenitum in terra eorum : primitias universi [5] partûs eorum.

Et eduxit eos cum argento et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus.

Lætata est Ægyptus quum egrederentur : quoniam irruerat terror eorum super eos.

Expandit nubem in tentorium, et ignem ut luceret nocte.

Petierunt et adduxit [6] ortygometram, et pane cœlesti saturavit eos.

Aperuit petram et fluxerunt aquæ : cucurrerunt in aridis flumina.

Quia recordatus est verbi sancti sui : cum Abraham servo suo.

Et eduxit populum suum [7] in lætitia : [8] in laude electos suos.

Et dedit eis terras gentium, et laborem [9] tribuum possederunt.

Ut custodirent ceremonias ejus, et leges ejus servarent. Alleluia.

SALMO CV.

Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in [10] æternum misericordia ejus.

Quis loquetur fortitudines Domini : auditas faciet omnes laudes ejus?

Beati qui custodiunt judicium, faciunt justitiam in omni tempore.

Recordare mei Domine in repropitiatione populi tui : visita me in salutari tuo.

Ut videam bona electorum tuorum, et læter in lætitia gentis tuæ : et exsultem cum hereditate tua.

Peccavimus cum patribus nostris : iniquè fecimus, impiè egimus.

Patres nostri in Ægypto non [11] intellexerunt mirabilia tua : non sunt recordati multitudinis misericordiæ tuæ.

Et ad iracundiam provocaverunt super mare in mari Rubro : salvavit autem eos propter nomen suum, ut ostenderet fortitudinem suam.

Et comminatus est mari Rubro, et aruit : et transduxit eos per abyssos quasi in deserto.

Et salvavit eos de manu odientis, et redemit eos de manu inimici.

Et operuerunt aquæ hostes eorum : unus de ipsis non superfuit.

Et crediderunt verbis ejus, cecineruntque laudem ejus.

[12] Citò obliti sunt operum illius : nec exspectaverunt [13] voluntatem ejus.

Et desideraverunt desiderium in deserto, et tentaverunt Deum in solitudine.

Dedit eis petitionem ipsorum, et misit tenuitatem in animam eorum.

Et zelati sunt Mosen in castris : Aaron sanctum Domini.

Aperta est terra, et devoravit Dathan, et operuit synagogam Abyram.

Et succensus est ignis in synagoga eorum : flamma exussit [14] impios.

Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt conflatile.

Et mutaverunt gloriam suam, in similitudinem bovis comedentis fœnum.

Obliti sunt Dei salvatoris sui : qui fecit magnalia in Ægypto.

Mirabilia in terra Cham : terribilia super mare Rubrum.

Dixit ergò ut [15] contereret eos : nisi Moses electus ejus stetisset medius contra faciem illius, ut converteret indignationem ejus, et non interficeret.

Et despexerunt terram desiderabilem : nec crediderunt sermoni ejus.

1 dominatorem — 2 dominatorem — 3 castigaret — 4 pediculi — 5 doloris — 6 coturnicem — 7 cum gaudio — 8 laudantes — 9 plebium — 10 sæculum — 11 sunt eruditi mirabilibus tuis — 12 Festinatò — 13 consilium — 14 montes — 15 disperderet

Et murmuraverunt in tabernaculis suis : non audierunt vocem Domini.

Et elevavit manum suam super eos, ut dejiceret eos in deserto.

Et ut dejiceret semen eorum in gentibus, et dispergeret eos in terris.

Et consecrati sunt Beel-Phegor, et comederunt victimas mortuorum.

Et concitaverunt in studiis suis, et percussit eos plagà.

Stetit autem Phinees, et [1] dijudicavit : et est retenta percussio.

Et reputatum est ei in justitiam : in generatione et generationem usque in [2] æternum.

Et provocaverunt super aquam contradictionis, et afflictus est Moses propter eos.

Quia provocaverunt spiritum ejus, et [3] præcepit in labiis suis.

Non exterminaverunt populos : quos dixit Dominus eis.

Et commixti sunt gentibus, et didicerunt opera eorum.

Et servierunt [4] sculptilibus eorum, et factum est eis in scandalum.

Et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmonibus.

Et effuderunt sanguinem innocentem : sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum, quos immolaverunt [5] sculptilibus Chanaan :

Et [6] polluta est terra sanguinibus : et coinquinati sunt in operibus suis, et fornicati sunt in [7] studiis suis.

Iratus est itaque furor Domini in populum suum, et abominatus est hereditatem suam.

Et dedit eos in manu gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

Et afflixerunt eos inimici sui, et humiliati sunt sub manu eorum.

Multis vicibus liberavit eos : ipsi verò provocabant in consiliis suis, et humiliati sunt propter iniquitatem suam.

Et vidit tribulationem eorum : quum audiret eos rogantes.

Et recordatus est pacti sui cum eis : et pœnituit secundùm multitudinem misericordiæ suæ.

Et dedit eos mirabiles : coram omnibus qui ceperant eos.

Salva nos Domine Deus noster, et congrega nos de gentibus :

Ut confiteamur nomini sancto tuo : et canamus [8] laudantes te.

Benedictus Dominus Deus Israël [9] ab æterno, et usque in æternum : et dicet omnis populus, Amen. Alleluia.

SALMO CVI.

Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in [10] æternum misericordia ejus.

Dicant redempti à Domino : quos redemit de manu hostis.

Et de terris congregavit eos, ab oriente et occidente : ab aquilone et mari.

Erraverunt in solitudine, in deserta via : civitatem quæ habitaretur non repererunt.

Esurientes et sitientes : anima eorum in ipsis deficiebat.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua de [11] afflictione eorum eripuit eos.

Et duxit illos per viam rectam, ut venirent in civitatem habitabilem.

Confiteantur Domino [12] misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Quia saturavit animam vacuam, et animam esurientem implevit bonis.

Habitantes in tenebris et umbra mortis : alligatos inopià et ferro.

Quia provocaverunt sermones Dei, et consilium Excelsi blasphemaverunt.

Et humiliavit in labore cor eorum : corruerunt, et non erat qui adjuvaret.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua, de angustiis eorum salvavit eos.

Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum disrupit.

Confiteantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Quia contrivit [13] portas æreas, et vectes ferreos confregit.

Stultos [14] propter viam sceleris eorum, et [15] propter iniquitates afflictos.

Omnem cibum abominata est anima eorum, et accesserunt ad portas mortis.

Et clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua : de angustiis eorum salvavit eos.

Misit verbum suum, et sanavit eos : et salvavit de interitu eorum.

Confiteantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.

Et immolent hostias [16] gratiarum, et narrent opera ejus in laude.

Qui descendunt [17] mare in navibus, facientes opus in aquis multis.

Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.

Dixit et [18] surrexit ventus tempestatis, et elevavit gurgites ejus.

1 exoravit — 2 sæculum — 3 protulit — 4 idolis — 5 idolis — 6 contaminata — 7 adinventionibus — 8 in laude tua — 9 à sæculo, et usque in sæculum — 10 sæculum — 11 angustiis — 12 misericordias — 13 ostia ærea — 14 de via — 15 de iniquitatibus suis — 16 confessionum — 17 in mare navibus — 18 statuit

Ascendunt in cœlum, et descendunt in abyssos : anima eorum in [1]afflictione consumitur.
Obstupuerunt et intremuerunt quasi ebrius : et universa sapientia eorum absorpta est.
Clamabunt autem ad Dominum in tribulatione sua, et de angustiis eorum eduxit eos.
[2]Statuet turbinem in tranquillitatem, et silebunt fluctus ejus.
Lætabuntur quoniam quieverunt, et deducet eos ad portum quem voluerunt.
Confiteantur Domino misericordiam ejus, et mirabilia ejus in filios hominum.
Et exaltent eum in ecclesia populi, et in cathedra seniorum laudent eum.
Ponet flumina in desertum, et [3]fontes aquarum in sitim.
Terram fructiferam in salsuginem : præ malitia habitatorum ejus.
Ponet desertum in paludes aquarum, et terram inviam in [4]fontes aquarum.
Et collocavit ibi esurientes, et fundabunt urbem ad habitandum.
Et serent agros, et plantabunt vineas : et facient fruges germina.
Et benedicet eis et multiplicabuntur nimis, et [5]pecora eorum non imminuentur.
Imminuta sunt autem et afflicta, propter angustiam mali et doloris.
Et effundet despectionem super principes, et errare eos faciet in [6]solitudine devia.
Et sublevabit pauperem de inopia, et ponet quasi [7]gregem familias.
Videbunt recti, et lætabuntur : et omnis iniquitas contrahet os suum.
Quis sapiens, et custodiet hæc : et intelliget misericordias Domini?

SALMO CVII.

Paratum cor meum Deus : cantabo et psallam; sed et gloria mea.
[8]Consurge psalterium et cithara, [9]consurgam manè.
Confitebor tibi in populis Domine, [10]et cantabo te in nationibus.
Quoniam magna super cœlos misericordia tua, et usque ad æthera veritas tua.
Exaltare super cœlos Deus : et super omnem terram gloria tua.
Ut liberentur dilecti tui : salva dextera tua, et exaudi me.
Deus locutus est in sanctuario suo; gaudebo; dividam Sichem, et vallem Soccoth dimetiar.
Meus est Galaad, meus est Manasse, et Ephraïm [11]hæreditas capitis mei :
Juda [12]dux meus. Moab lebes pelvis meæ;
Super Idumæam projiciam calciamentum meum : cum [13]Philisthim fœderabor.
Quis deducet me in civitatem munitam : quis deducet me usque in Idumæam?
Nonne tu Deus qui [14]projeceras nos, et non [15]exieras Deus in exercitibus nostris?
Da nobis auxilium in tribulatione : vana est enim [16]salus ab homine.
In Deo [17]erimus fortes, et ipse conculcavit hostes nostros.

SALMO CVIII.

Deus laudabilis mihi, ne taceas : quia os impii et os dolosi contra me apertum est.
Loquuti sunt de me linguâ mendacii : et verbis odii circumdederunt me, et expugnaverunt me frustrà.
Pro eo quòd eos diligebam, adversabantur mihi : ego autem orabam.
Et posuerunt contra me malum pro bono, et odium pro dilectione mea.
Constitue super eum impium, et Satan stet à dextris ejus.
Quum fuerit judicatus, exeat condemnatus : et oratio ejus sit in peccatum.
Fiant dies ejus pauci : episcopatum ejus accipiat alter.
Sint filii ejus pupilli, et uxor ejus vidua.
Instabiles vagentur liberi ejus, et mendicent : et quærantur in parietinis suis.
Scrutetur exactor universa quæ habet, et diripiant alieni laborem ejus.
Non sit qui ejus misereatur : nec qui clemens sit in pupillos ejus.
Fiat novissimum ejus interitus : in generatione altera deleatur nomen ejus.
[18]Redeat in memoriam iniquitas patrum ejus apud Dominum, et [19]iniquitas matris ejus non deleatur.
Sint contra Dominum semper : et intereat de terra memoria eorum.
Eò quòd non est recordatus facere misericordiam : et persequutus est virum inopem, et pauperem : et compunctum corde ut interficeret.

1 malo — 2 Suscitabit — 3 exitus — 4 exitus — 5 jumenta — 6 inani — 7 oves — 8 Expergiscere — 9 expergiscar diluculò — 10 psallam tibi in plebibus — 11 fortitudo — 12 legifer — 13 mihi Palæstina fœderabitur. — 14 projecisti — 15 exibis — 16 salus hominis — 17 faciemus virtutem — 18 Commemoretur — 19 peccatum

Et dilexit maledictionem, [1]quæ veniet ei : et noluit benedictionem, quæ elongabitur ab eo.
Et indutus est maledictione quasi vestimento suo, et ingreditur quasi aqua in viscera ejus : et quasi oleum in ossa ejus.
Sit ei quasi [2]pallium quo circumdatur, et quasi cingulum quo semper accingitur.
Hæc est retributio eorum qui adversantur mihi à Domino, et qui loquuntur malum contra animam meam.
Tu autem Domine Deus fac mecum propter nomen tuum : quoniam bona est misericordia tua, libera me.
Quoniam egenus, et pauper sum : et cor meum vulneratum est intrinsecùs.
Quasi umbra quum inclinatur abductus sum, excussus quasi locusta.
Genua mea vacillaverunt à jejunio, et caro mea [3]mutata est absque oleo.
Et ego factus sum opprobrium eis : videntes me moverunt caput suum.
Adjuva me Domine Deus meus : salva me secundùm misericordiam tuam.
Et sciant quoniam manus tua hæc : tu Domine fecisti eam.
Maledicent illi, et tu benedices : [4]restiterunt, et confundentur : servus autem tuus lætabitur.
Induantur adversarii mei confusione, et operiantur quasi pallio confusione suâ.
Confitebor Domino vehementer in ore meo, et in medio [5]populorum laudabo eum.
Quoniam stabit à dextris [6]pauperis, ut salvet à [7]judicibus animam ejus.

SALMO CIX.

Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris mei : donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.
[8]Virgam fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Sion : dominare in medio inimicorum tuorum.
Populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuæ : in [9]montibus sanctis.
Quasi de vulva orietur tibi ros adolescentiæ tuæ.
Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.
Dominus ad dexteram tuam, percussit in die furoris sui reges.
Judicabit in gentibus, implevit [10]valles : percutiet caput in terra multa.
De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.

SALMO CX.

Confitebor Domino in todo corde meo : in consilio [11]justorum et congregatione.
Magna opera Domini : exquirenda [12]cunctis volentibus eum.
Gloria et decor opus ejus : et justitia ejus perseverans semper.
Memoriam fecit mirabilium suorum : clemens et misericors Dominus.
Escam dedit timentibus se : memor erit in [13]sempiternum pacti sui.
Fortitudinem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det eis hereditatem gentium.
Opus manuum ejus veritas, et judicium : fidelia omnia præcepta ejus.
Firmata in [14]sempiternum jugiter : facta in veritate et æquitate.
Redemtionem misit populo suo, mandavit in [15]æternum pactum suum :
Sanctum et terribile nomen ejus.
Principium sapientiæ timor Domini.
[16]Doctrina bona cunctis facientibus eam : laus ejus perseverat jugiter.

SALMO CXI.

Beatus vir qui timet Dominum : in mandatis ejus volet nimis.
Potens in terra erit semen ejus : generatio [17]justorum benedicetur.
Substantia et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus perseverans semper.
Ortum est in tenebris lumen [18]justis : clemens et [19]misericors et justus.

1 et — 2 vestimentum — 3 macilenta — 4 restiterunt, et confusi sunt — 5 multorum — 6 egeni — 7 judicantibus — 8 Baculum — 9 splendoribus — 10 cadaveribus — 11 rectorum — 12 in cunctis — 13 sæculum — 14 sæculum — 15 sæculum — 16 Eruditio — 17 rectorum — 18 rectis — 19 pius

Bonus vir clemens et fœnerans : dispersabit verba sua in judicio.

Quia in [1] æternum non commovebitur : in memoria sempiterna erit justus.

Ab auditu malo non timebit : paratum cor ejus confidens in Domino.

Firmum cor ejus non timebit : donec aspiciat in hostibus suis

Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus permanet in æternum : cornu ejus exaltabitur in gloria.

Impius videbit, et irascetur ; dentibus suis frendet et tabescet : desiderium impiorum peribit.

SALMO CXII.

Laudate servi Dominum : laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum : amodo et usque in [2] æternum.

Ab ortu solis usque ad occasum ejus : laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus : super cœlos gloria ejus.

Quis ut Dominus Deus noster : qui in excelsis habitans, humilia respicit in cœlo et in terra.

Suscitans de [3] terra inopem, et de stercore elevat pauperem.

Ut eum sedere faciat cum principibus : cum principibus populi sui.

Qui collocat sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Alleluia.

SALMO CXIII.

Quum egrederetur Israël de Ægypto : domus Jacob de populo barbaro.

[4] Factus est Judas in sanctificationem ejus : Israël potestas illius.

Mare vidit et fugit : Jordanis conversus est retrorsum.

Montes subsilierunt quasi arietes : colles quasi filii [5] gregis.

Quid tibi est mare quòd fugisti : Jordanis conversus es retrorsum ?

Montes subsultastis quasi arietes : colles quasi filii [6] gregis.

A facie Domini contremiscit terra : à facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in paludes aquarum : silicem in fontes aquarum.

NON NOBIS, DOMINE, NON NOBIS ; sed nomini tuo da gloriam : propter misericordiam tuam, et veritatem tuam.

[7] Ne dicant gentes : Ubi est Deus eorum ?

Deus autem noster in cœlo : universa quæ voluit fecit.

Idola [8] gentium argentum et aurum ; opus manuum hominum.

Os habent, et non loquentur : oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient : nasum habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt : pedes habent, et non ambulabunt : non sonabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

Israël confidit in Domino : auxiliator et protector eorum est.

Domus Aaron confidit in Domino : auxiliator et protector eorum est.

Timentes Dominum confidunt in Domino : auxiliator et protector eorum est.

Dominus recordatus nostri ; benedicet ; benedicet domui Israël : benedicet domui Aaron.

Benedicet timentibus Dominum : parvis et magnis.

Addat Dominus super vos : super vos et super filios vestros.

Benedicti vos à Domino : qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœlorum Domino : terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt Dominum : nec omnes qui descendunt in silentium.

Sed nos benedicimus Domino : amodo et usque in æternum. Alleluia.

SALMO CXIV.

Dilexi quoniam [9] exaudiet Dominus vocem deprecationis meæ.

Quoniam inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo.

1 sæculum — 2 sæculum — 3 pulvere — 4 Facta est Judæa — 5 ovium — 6 ovium — 7 Quare — 8 eorum — 9 exaudies Domine

Circumdederunt me funes mortis, et munitiones inferni invenerunt me.

Angustiam et dolorem reperi : et nomen Domini invocabo :

Obsecro Domine [1] salva animam meam ; clemens Dominus, et justus : et Deus noster [2] misericors.

Custodit parvulos Dominus : attenuatus sum, et salvavit me.

Revertere anima mea in requiem tuam : quia Dominus reddet tibi.

Quia eruet animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos ab offensa.

Deambulabo coram Domino, in terris viventium.

SALMO CXV.

Credidi [3] propter quod loquutus sum : ego afflictus sum nimis.

Ego dixi in stupore meo, omnis homo [4] mendacium.

Quid reddam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi.

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam, coram omni populo ejus.

[5] Gloriosa in conspectu Domini, mors [6] sanctorum ejus.

Obsecro Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus filius ancillæ tuæ.

Dissolvisti vincula mea : tibi immolabo hostiam [7] laudis, et in nomine Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam, in conspectu omnis populi ejus.

In atriis domûs Domini, in medio tui Jerusalem. Alleluia.

SALMO CXVI.

Laudate Dominum omnes gentes : collaudate eum universi [8] populi.

Quia confortata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini in æternum. Alleluia.

SALMO CXVII.

Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in [9] æternum misericordia ejus.

Dicat [10] nunc Israël : quoniam in [11] æternum misericordia ejus.

Dicat [12] nunc domus Aaron ; quoniam in [13] æternum misericordia ejus.

Dicant [14] nunc qui timent Dominum : quoniam in [15] æternum misericordia ejus.

Quum tribularer invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus meus non timebo, quid faciat mihi homo.

Dominus mihi [16] auxiliator, et ego [17] despiciam odientes me.

Melius est [18] sperare in Domino, quàm sperare in homine.

Melius est [19] sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

Omnes gentes circumdederunt me ; in nomine Domini : quia [20] ultus sum eas.

Circumdederunt me, et obsederunt me : sed in nomine Domini, quia [21] ultus sum eas.

Circumdederunt me quasi apes : exstinctæ sunt quasi ignis spinarum in nomine Domini, quia [22] ultus sum in eas.

Impulsus pellebar ut caderem, et Dominus [23] sustentavit me.

Fortitudo mea, et laus mea Dominus : et factus est mihi in salutem.

Vox laudis, et salutis in tabernaculis justorum.

Dextera Domini fecit [24] fortitudinem : dextera Domini excelsa, dextera Domini fecit [25] fortitudinem.

Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.

[26] Corripiens arguit me Dominus, et morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiæ : ingressus in eas confitebor Domino.

Hæc porta Domini : justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes : factus est in caput anguli.

A domino factum est istud, et hoc est mirabile in oculis nostris.

1 eripe — 2 pius — 3 quia — 4 mentitur — 5 Pretiosa in oculis Domini — 6 misericordium — 7 confessionis — 8 plebes — 9 sæculum — 10 obsecro — 11 sæculum — 12 obsecro — 13 sæculum — 14 obsecro — 15 sæculum — 16 inter auxiliatores — 17 aspiciam — 18 confidere — 19 confidere — 20 contrivi eas — 21 contrivi eas — 22 contrivi eas — 23 auxiliatus est mihi — 24 virtutem — 25 virtutem — 26 Castigans castigavit

Hæc est dies quam fecit Dominus : exsultemus et lætemur in ea.

Obsecro Domine, salva obsecro : obsecro Domine, prosperare obsecro.

Benedictus qui venit in nomine Domini : benediximus vobis de domo Domini,

Deus Dominus, et [1] apparuit nobis ; [2] frequentate solemnitatem in frondosis, usque ad cornua altaris.

Deus meus es tu, et confitebor tibi : Deus meus es tu, et exaltabo te.

Confitebor Domino quoniam bonus, quoniam in [3] æternum misericordia ejus.

SALMO CXVIII.

ALEPH.

Beati immaculati in via : qui ambulant in lege Domini.

Beati qui custodiunt testimonia ejus : in toto corde requirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.

Tu mandasti præcepta tua custodiri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodienda præcepta tua.

Tunc non confundar : quum respexero ad omnia mandata tua.

Confitebor tibi in directione cordis : quum didicero judicia justitiæ tuæ.

Præcepta tua custodiam : ne derelinquas me nimis.

BETH.

In quo [4] corrigit juvenis semitam suam, [5] quum custodierit verba tua.

In toto corde meo exquisivi te : ne errare me facias à mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquium tuum, ut non peccem tibi.

Benedictus tu Domine, doce me præcepta tua.

In labiis meis narravi [6] omnes justitias oris tui.

In via testimoniorum tuorum [7] lætatus sum, quasi in omnibus divitiis.

In præceptis tuis meditabor, et contemplabor semitas tuas.

In [8] justitiis tuis delectabor : non obliviscar verba tua.

GIMEL.

Tribue servo tuo : vivam, et custodiam verba tua.

Revela oculos meos, et [9] videbo mirabilia de lege tua.

Advena ego sum in terra : ne abscondas à me [10] mandata tua.

[11] Desideravit anima mea desiderare judicia tua in omni tempore.

Increpasti superbos : maledicti qui recedunt à mandatis tuis.

Aufer à me opprobrium, et contemtum : quoniam testimonia tua custodivi.

Etenim sederunt principes, adversùm me loquebantur : servus autem tuus meditabatur præcepta tua.

Sed et testimonia tua [12] voluntas mea, quasi [13] viri amicissimi mei.

DALETH.

Adhæsit pulveri anima mea : vivifica me juxta verbum tuum.

Vias meas [14] exposui, et exaudisti me : doce me [15] justitiam tuam.

Viam [16] præceptorum tuorum fac me intelligere, et loquar in mirabilibus tuis.

Distillavit anima mea præ stultitia : [17] serva me juxta eloquium tuum.

Viam mendacii aufer à me, et legem tuam [18] dona mihi.

Viam fidei elegi : judicia tua proponebam.

Adhæsi testimoniis tuis : Domine ne confundas me.

Viam mandatorum tuorum curram : quoniam dilatasti cor meum.

HE.

Ostende [19] mihi Domine viam præceptorum tuorum, et custodiam eam per vestigium.

Doce me, et observabo legem tuam : et custodiam eam in toto corde.

Deduc me in semita [20] mandatorum tuorum : quia ipsam volui.

Inclina cor meum ad testimonia tua, et non ad avaritiam.

Averte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.

Suscita servo tuo eloquium tuum, in timorem tuum.

Averte opprobrium meum quod reveritus sum : quia judicia tua bona.

Ecce desideravi [21] præcepta tua : in justitia tua vivifica me.

VAU.

Et veniant mihi misericordiæ tuæ Domine, et salus tua juxta eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi sermonem : quia speravi in sermone tuo.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usque nimis : quoniam judicia tua exspectavi.

Et custodiam legem tuam jugiter : in sempiternum, et ultrà.

1 illuxit — 2 obligate — 3 sæculum — 4 mundabit puer — 5 ut custodiat — 6 omnia judicia — 7 gavisus — 8 præceptis — 9 aspiciam — 10 præcepta — 11 Meditari anima mea desideravit — 12 delectatio — 13 consilii — 14 narravi — 15 præcepta tua — 16 mandatorum — 17 confirma — 18 miserere mei — 19 Illumina me — 20 præceptorum — 21 mandata

Et ambulabo in spatioso : quia præcepta tua quæsivi.

Et loquar in testimoniis tuis coram regibus, et non confundar.

Et delectabor in mandatis tuis, quæ dilexi :

Et levabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi, et loquar in præceptis tuis.

ZAIN.

Memento sermonis servo tuo : quem me sperare fecisti.

Hæc est consolatio mea in afflictione mea : quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi deridebant me nimis : à lege tua non declinavi.

Recordatus sum judiciorum tuorum à sæculo Domine, et consolatus sum.

Horror obtinuit me ab impiis, qui dereliquerunt legem tuam.

Carmina erant mihi præcepta tua, in domo peregrinationis meæ.

Recordatus sum in nocte nominis tui Domine, et custodivi legem tuam.

Hoc factum est mihi : quia præcepta tua custodivi.

HETH.

Pars mea Domine : dixi ut custodiam verbum tuum.

Deprecatus sum vultum tuum in toto corde : miserere mei secundùm eloquium tuum.

Recogitavi vias meas, et converti pedes meos ad testimonia tua.

Festinavi, et non neglexi, custodire mandata tua.

Funes impiorum implicaverunt me : legem tuam non sum oblitus.

Medio noctis surgam ad confitendum tibi, super judicia justitiæ tuæ.

Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium præcepta tua.

Misericordiâ tuâ Domine completa est terra, præcepta tua doce me.

TETH.

Benefecisti cum servo tuo Domine : secundùm verbum tuum.

Bonum sermonem, et scientiam doce me : quia mandatis tuis credidi.

Antequàm audirem ego ignoravi : nunc autem eloquium tuum custodivi.

Bonus es tu, et beneficus : doce me præcepta tua.

Applicabant mihi mendacium superbi : ego autem in toto corde meo servabam præcepta tua.

Incrassatum est velut adeps cor eorum, et ego in lege tua delectabar.

Bonum mihi quia afflictus sum, ut discerem præcepta tua.

Melior est mihi lex oris tui : super millia auri et argenti.

JOD.

Manus tuæ fecerunt me, et firmaverunt me : doce me, et discam mandata tua.

Qui timent te videbunt me, et lætabuntur : quia sermonem tuum expectavi.

Scio Domine quia justum judicium tuum, et verè afflixisti me.

Sit obsecro misericordia tua in consolatione mea : sicut locutus es servo tuo.

Veniant mihi misericordiæ tuæ, et vivam : quia lex tua delectatio mea.

Confundantur superbi, quoniam iniquè contriverunt me : ego autem loquar in præceptis tuis.

Revertantur ad me qui timent te, et qui sciunt testimonium tuum.

Fiat cor meum perfectum in præceptis tuis, ut non confundar.

CHAPH.

Defecit in salutare tuum anima mea : in verbum tuum exspectavi.

Consumti sunt oculi mei in verbum tuum : dicentes, quando consolaberis me?

Et quum essem quasi uter in pruina : præcepta tua non sum oblitus.

Quot sunt dies servi tui, quando facies in persequentibus me judicium.

Foderunt mihi superbi foveas, quæ non erant juxta legem tuam.

Omnia mandata tua vera : falsò persequuti sunt me, auxiliare mihi.

Paulominùs consumserunt me in terra : ego autem non dimisi præcepta tua.

Secundùm misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui.

LAMED.

In [1] æternum Domine, verbum tuum permanet in cœlo.

In generatione, et generatione fides tua : fundasti terram, et stat.

Judicio tuo stant usque hodie : quia omnia serviunt tibi.

Nisi quòd lex tua delectatio mea : fortè periissem in pressura mea.

In sempiternum non obliviscar præceptorum tuorum : quia per ipsa vivificasti me.

Tuus ego sum, salva me : quoniam præcepta tua quæsivi.

Me exspectaverunt impii ut perderent me : testimonium tuum considerabo.

Omnis consummationis vidi finem : latum [2] mandatum tuum nimis.

MEM.

Quàm dilexi legem tuam! totâ die hæc meditatio mea.

Super inimicos meos instruxisti me mandato tuo : quia in sempiternum hoc est mihi.

Super omnes qui docebant me eruditus sum : quia testimonia tua meditatio mea.

1 sæculum — 2 præceptum

Super senes intellexi : quia præcepta tua servavi.

Ab omni semita mala prohibui pedes meos, ut custodirem verba tua.

A judiciis tuis non recessi : quia tu illuminasti me.

Quàm dulce gutturi meo eloquium tuum! super mel ori meo.

Præcepta tua considerabam : propterea odivi omnem semitam mendacii.

NUN.

Lucerna pedi meo verbum tuum, et lux semitæ meæ.

Juravi, et perseverabo : ut custodiam judicia justitiæ tuæ.

Afflictus sum usque nimis : Domine vivifica me juxta verbum tuum.

Voluntaria oris mei complaceant tibi Domine, et secundùm judicia tua doce me.

Anima mea in manu mea semper, et legis tuæ non sum oblitus.

Posuerunt impii laqueum mihi, et à præceptis tuis non aberravi.

Hereditas mea testimonia tua in sempiternum : quia gaudium cordis mei sunt.

Inclinavi cor meum ut facerem justitias tuas, propter æternam retributionem.

SAMECH.

Tumultuosos odivi, et legem tuam dilexi.

Protectio mea et scutum meum tu es : verbum tuum exspectavi.

Recedite à me maligni, et custodiam mandata Dei mei.

Confirma me secundùm verbum tuum, et vivam : et noli me confundere ab exspectatione mea.

Auxiliare mihi, et salvus ero : et delectabor in præceptis tuis jugiter.

Abjecisti omnes qui aversantur præcepta tua : quia mendax cogitatio eorum.

Quasi scoriam computasti omnes impios terræ : propterea dilexi testimonia tua.

Horripilavit à timore tuo caro mea, et judicia tua timui.

AIN.

Feci judicium, et justitiam : ne derelinquas me his qui calumniantur me.

Sponde pro servo tuo in bonum : ne calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo juxta misericordiam tuam, et præcepta tua doce me.

Servus tuus sum ego, instrue me : et cognoscam testimonia tua.

Tempus est ut facias Domine : prævaricati sunt legem tuam.

Propterea dilexi mandata tua : super aurum et topazium.

Propterea in universa præcepta tua direxi : omnem semitam mendacii odio habui.

PHE.

Mirabilia testimonia tua : idcircò custodivit ea anima mea.

Ostium sermonum tuorum lucidum, docens parvulos.

Os meum aperui et respiravi : quia [1] mandata tua desiderabam.

Respice ad me, et miserere mei : juxta judicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos firma in [2] sermone tuo, et non des potestatem in me universæ iniquitati.

Redime me à calumnia hominis, et custodiam [3] præcepta tua.

Vultum tuum ostende servo tuo, et doce me præcepta tua.

Rivi aquarum fluebant de oculis meis : quia non custodierunt legem tuam.

SADE.

Justus es Domine, et rectum judicium tuum.

Præcepisti justitiam testimonii tui, et veritatem nimis.

Consumsit me zelus meus : quia obliti sunt verborum tuorum hostes mei.

Probatus sermo tuus nimis, et servus tuus dilexit illum.

Parvulus ego sum, et contemtibilis : sed præcepta tua non sum oblitus.

Justitia tua, justitia sempiterna, et lex tua veritas.

Tribulatio, et angustia invenerunt me : mandata tua voluntas mea.

Justa testimonia tua [4] semper : doce me, et vivam.

COPH.

Clamavi in toto corde, exaudi me Domine : præcepta tua custodiam.

Invocavi te, salvum me fac, et custodiam testimonia tua.

Surgebam adhuc in tenebris, et clamabam : verbum tuum exspectans.

Præveniebant oculi mei vigilias, ut meditarer in sermonibus tuis.

Vocem meam exaudi juxta misericordiam tuam : Domine secundùm judicium tuum vivifica me.

Appropinquaverunt persequutores mei sceleris, et à lege tua procul facti sunt.

Propè es tu Domine, et omnia mandata tua veritas.

A principio novi de testimoniis tuis : quòd in æternum fundaveris ea.

RES.

Vide afflictionem meam, et eripe me : quia legis tuæ non sum oblitus.

1 præcepta — 2 eloquio — 3 mandata — 4 in sæculum

Judica caussam meam, et redime me : in sermone tuo vivifica me.

Longè ab impiis salus : quia præcepta tua non quæsierunt.

Misericordiæ tuæ multæ Domine : juxta judicia tua vivifica me.

Multi qui persequuntur me, et affligunt me : à testimoniis tuis non declinavi.

Vidi prævaricatores tuos, et mœrebam : quia verbum tuum non custodierunt.

Vide quoniam præcepta tua dilexi : Domine juxta misericordiam tuam vivifica me.

Caput verborum tuorum veritas, et in sempiternum omne judicium justitiæ tuæ.

SIN.

Principes persequuti sunt sine caussa : verba autem tua timuit cor meum.

Gaudens ego sum in eloquio tuo, sicut qui invenit spolia multa.

Mendacium odio habui, et detestatus sum : legem tuam dilexi.

Septies in die laudavi te : super judiciis justitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.

Exspectavi salutare tuum Domine, et mandata tua feci.

Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea nimis.

Custodivi præcepta tua et testimonia tua : quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

THAU.

[1] Ingrediatur laus mea coram te Domine : secundùm verbum tuum doce me.

Veniat deprecatio mea ante vultum tuum secundùm eloquium tuum libera me.

Fundant labia mea hymnum : docebis enim me præcepta tua.

Loquetur lingua mea sermonem tuum : quia omnia mandata tua justa.

Sit manus tua auxiliatrix mea : quia præcepta tua elegi.

Desideravi salutare tuum Domine, et lex tua voluntas mea.

Vivet anima mea, et laudabit te : et judicia tua auxiliabuntur mihi.

Erravi quasi ovis perdita, quære servum tuum : quia [2] mandatorum tuorum non sum oblitus.

SALMO CXIX.

Ad Dominum in tribulatione mea clamavi, et exaudivit me.

Domine libera animam meam à labio mendacii, à lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus juniperorum.

Heu mihi quia peregrinatio mea prolongata est : habitavi cum tabernaculis Cedar.

Multùm peregrina est anima mea, cum odientibus pacem.

Ego pacifica loquebar, et illi bellantia.

SALMO CXX.

Levavi oculos meos in montes : unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino, factore cœli et terræ.

Non det in commotionem pedem tuum : nec dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.

Dominus custodit te : Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

Per diem sol non percutiet te, neque luna per noctem.

Dominus custodiet te ab omni malo : custodiat animam tuam.

Dominus custodiat exitum tuum et introitum tuum : amodo et usque in æternum.

SALMO CXXI.

Lætatus sum eò quòd dixerint mihi : in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, in portis tuis Jerusalem.

Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus simul.

Quia ibi ascenderunt tribus tribus Domini testimonium Israël : ad confitendum nomini Domini.

Quia ibi sederunt sedes in judicio : sedes domui David.

Rogate pacem Jerusalem : sit bene his qui diligunt te.

Sit pax in muris tuis : abundantia in domibus tuis.

1 Appropinquet — 2 præceptorum

Propter fratres meos et amicos meos : loquar pacem tibi.

Propter domum Domini Dei nostri, quæram bona tibi.

SALMO CXXII.

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.
Ecce sicut oculi servorum ad manum dominorum suorum :
Sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ, sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.
Miserere nostri Domine, miserere nostri : quia multùm repleti sumus despectione.
Multùm repleta est anima nostra opprobrio abundantium, et despectione superborum.

SALMO CXXIII.

Nisi Dominus fuisset in nobis : dicat nunc Israël.
Nisi Dominus fuisset in nobis : quum exsurgerent super nos homines.
Forsitan vivos absorbuissent nos : quum irasceretur furor eorum super nos.
Forsitan aquæ circumdedissent nos : torrens transisset super animam nostram.
Forsitan transissent super animam nostram, aquæ superbiæ.
Benedictus Dominus : qui non dedit nos in prædam dentibus eorum.
Anima nostra quasi avis erepta est de laqueo venantium :
Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.
Auxilium nostrum in nomine Domini : qui fecit cœlum et terram.

SALMO CXXIV.

Qui confidunt in Domino, quasi mons Sion, immobilis, in æternum habitabilis.
Jerusalem montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui : amodo et usque in æternum.
Quia non requiescet virga impietatis super sortem justorum, ut non mittant justi in iniquitatem manus suas.
Benefac Domine bonis, et rectis corde.
Qui autem declinant ad pravitates suas, deducet eos Dominus cum his qui operantur iniquitatem : pax super Israël.

SALMO CXXV.

Quum [1] converteret Dominus captivitatem Sion : [2] facti sumus quasi somniantes.
Tunc implebitur risu os nostrum, et lingua nostra laude :
Tunc dicent in gentibus : magnificavit Dominus facere cum istis.
Magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus sicut lætantes.
Converte Domine captivitatem nostram : sicut [3] rivos in austro.
Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent.
Qui ambulans ibat et flebat, portans ad seminandum sementem :
Veniens veniet in exsultatione, portans manipulos suos.

SALMO CXXVI.

Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.
Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.
Frustrà vobis est de mane surgere : postquàm sederitis, qui manducatis panem dolorum : sic dabit diligentibus se somnum.
Ecce hereditas Domini, filii : merces, fructus ventris.
Sicut sagittæ in manu potentis : ita filii juventutis.
Beatus vir qui implevit pharetram suam ex ipsis : non confundentur, quum loquentur inimicis suis in porta.

1 converterit — 2 erimus — 3 rivus

SALMO CXXVII.

Beatus omnis qui timet Dominum : qui ambulat in viis ejus.
Laborem [1] manuum tuarum quum comederis, beatus tu, et bene tibi erit.
Uxor tua sicut vitis fructifera in penetralibus domûs tuæ :
Filii tui sicut germina olivarum, in circuitu mensæ tuæ.
Ecce sic benedicetur viro : [2] qui timet Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Sion : et [3] videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum : [4] pacem super Israël

SALMO CXXVIII.

Sæpè expugnaverunt me ab adolescentia mea : dicat nunc Israël.
Sæpè expugnaverunt me ab adolescentia mea : sed non potuerunt mihi.
Supra cervicem meam arabant arantes : prolongaverunt sulcum suum.
Dominus justus concidet laqueos impiorum.
Confundantur et revertantur retrorsum, omnes qui oderunt Sion.
Fiant sicut fœnum tectorum, quod statim ut viruerit, arescit.
De quo non implebit manum suam messor, et sinum suum manipulos faciens.
De quo non dixerunt transeuntes, benedictio Domini super vos : benediximus vobis in nomine Domini.

SALMO CXXIX.

De profundis clamavi ad te Domine : Domine exaudi vocem meam :
Fiant aures tuæ intendentes, ad vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates observabis Domine, Domine quis sustinebit ?
Quia tecum est propitiatio : quum terribilis sis.
Sustinuit Dominum, sustinuit anima mea : et verbum ejus expectavi : anima mea ad Dominum :
A vigilia matutina usque ad vigiliam matutinam, exspectet Israël Dominum :
Quia apud Dominum misericordia, et multa apud eum redemtio.
Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

SALMO CXXX.

Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei,
Et non ambulavi in magnis, et mirabilibus super me.
Si non proposui, et silere feci animam meam.
Sicut ablactatus super matrem suam : ita ablactetur super me anima mea.
Exspecta Israël Dominum : amodo et usque in [5] æternum.

SALMO CXXXI.

Memento Domine David, et omnis afflictionis ejus.
Qui juravit Domino, votum vovit [6] Deo Jacob.
Si intravero in tabernaculum domûs meæ, si [7] sedero super lectum [8] straminis mei.
Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem.
Donec inveniam locum Domino : tabernacula [9] Deo Jacob.
Ecce audivimus illum in Ephrata : invenimus illum in regione saltûs.
Intremus in tabernacula ejus : adoremus scabellum pedum ejus.
Surge Domine in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ.

1 palmarum — 2 timenti — 3 vide — 4 pax — 5 sæculum — 6 potenti — 7 ascendero — 8 stratûs — 9 potenti

Sacerdotes tui induantur justitiâ, et [1] sancti tui laudent.
Propter David servum tuum, ne avertas faciem Christi tui.
Juravit Dominus David veritatem, non avertetur ab ea:
De fructu ventris tui, ponam super [2] sedem tuam.
Si custodierint filii tui pactum meum, et testificationem meam quam docuero eos:
Et filii eorum usque in æternum, sedebunt super thronum tuum.
Quoniam elegit Dominus Sion : desideravit eam in habitaculum [3] suum.
Hæc est requies mea in sempiternum : hic habitabo, quia desideravi eam.
Venationem ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo pane.
Sacerdotes ejus induam salutari, et [4] sancti ejus laude laudabunt.
Ibi oriri faciam cornu David : paravi lucernam Christo meo.
Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem florebit [5] diadema ejus.

SALMO CXXXII.

Ecce quàm bonum et quàm decorum, habitare fratres in unum.
Sicut unguentum optimum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron : quod descendit super oram vestimentorum ejus.
Sicut ros Hermon, qui descendit super [6] montana Sion :
Quoniam ibi mandavit Dominus benedictionem, vitam usque in [7] æternum.

SALMO CXXXIII.

Ecce benedicite Domino, omnes servi Domini : qui statis in domo Domini in noctibus.
Levate manus vestras [8] ad sanctum, et benedicite Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Sion factor cœli et terræ.

SALMO CXXXIV.

Laudate nomen Domini : laudate servi Dominum.
Qui statis in domo Domini : in atriis domûs Dei nostri.
Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus : [9] cantate nomini ejus, quoniam decens.
Quia Jacob elegit sibi Dominus : Israël in peculium suum.
Quia ego scio quòd magnus Dominus, et [10] Dominus noster præ omnibus diis.
Omnia quæ voluit Dominus fecit in cœlo, et in terra : in mari et in cunctis abyssis.
Levans nubes de summitatibus terræ, fulgura in pluviam fecit : educens [11] ventos de thesauris suis.
Qui percussit primitiva Ægypti : ab homine usque ad [12] pecus.
Misit signa et portenta in medio tui Ægypte : in Pharao, et in cunctos servos ejus.
Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes.
Seon regem Amorræorum : et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan.
Et dedit terram eorum hereditatem : hereditatem Israël populo suo.
Domine nomen tuum in [13] æternum : Domine memoriale tuum in generatione et generatione.
Quia judicabit Dominus populum suum, et in servos suos erit placabilis.
Idola gentium argentum et aurum : opera manuum hominum.
Os habent, et non loquentur : oculos habent, et non videbunt.
Aures habent, et non audient : sed nec est spiritus in ore eorum.
Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnis qui confidit in eis.
Domus Israël benedicite Domino : domus Aaron benedicite Domino.
Domus Levi benedicite Domino : timentes Dominum benedicite Domino.
Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem. Alleluia.

1 misericordes te — 2 thronum tuum. — 3 sibi — 4 misericordes — 5 sanctificatio — 6 montes — 7 sæculum — 8 sanctè — 9 psallite — 10 dominator — 11 ventum — 12 quadrupedem — 13 sæculum

SALMO CXXXV.

Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Confitemini Deo deorum : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Confitemini Domino dominorum : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Qui fecit mirabilia magna solus : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Qui fecit cœlos in [2] sapientia : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Qui firmavit terram super aquas : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Qui fecit luminaria magna : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Solem in potestatem diei : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Lunam et stellas in potestatem noctis : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Qui percussit Ægyptum cum primitivis suis : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Et eduxit Israël de medio eorum : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
In manu valida et in brachio extento : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Qui divisit mare Rubrum in divisiones : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Et eduxit Israël è medio ejus : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Et convolvit Pharao et exercitum ejus in mari Rubro : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Qui perduxit populum suum per desertum : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Qui percussit reges magnos : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Et occidit reges [3] potentes : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Seon regem Amorræorum : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Et Og regem Basan : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Et dedit terram eorum hereditatem : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Hereditatem Israël servo suo : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Quia in humilitate nostra memor fuit nostri : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
[4] Et eripuit nos de tribulationibus nostris : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Qui dat panem omni carni : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.
Confitemini Deo cœli : quoniam in [1] æternum misericordia ejus.

SALMO CXXXVI.

Super flumina Babylonis ibi sedimus, et flevimus : quum recordaremur Sion.
Super salices in medio ejus : suspendimus citharas nostras.
Quoniam ibi interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos verba [5] carminis ;
Et qui affligebant nos læti : canite nobis de canticis Sion.
Quomodo cantabimus canticum Domini, in terra aliena ?
Si oblitus fuero tui Jerusalem, in oblivione sit dextera mea.
Adhæreat lingua mea gutturi meo, si non recordatus fuero tui :
Si non proposuero Jerusalem, in principio lætitiæ meæ.
Memento Domine filiorum Edom in die Jerusalem, dicentium : [6] evacuate, evacuate usque ad fundamentum ejus.
Filia Babylonis vastata : beatus qui retribuet tibi vicissitudinem tuam, quam retribuisti nobis.
Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.

SALMO CXXXVII.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conspectu deorum [7] cantabo tibi.
Adorabo [8] in templo sancto tuo : et confitebor nomini tuo,
Super misericordia tua, et veritate tua : quia magnificasti super omne nomen eloquium tuum.
In die invocabo, et exaudies me : dilatabis animæ meæ fortitudinem.
Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ : quoniam audierunt eloquia oris tui.
Et cantent in viis Domini : quoniam magna gloria Domini.
Quoniam excelsus Dominus, et [9] humilia

1 sæculum — 2 intellectu — 3 magnificos — 4 Et redemit nos de hostibus nostris — 5 cantionum — 6 effodite, effodite — 7 psallam — 8 ad templum sanctum tuum — 9 et humile videt, et excelsum

respicit : et excelsa de longè cognoscit.
Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me : super furorem inimicorum meorum mittes manum tuam, et salvabit me dextera tua.
Dominus operabitur pro me, Domine misericordia tua in [1] æternum : opera manuum tuarum ne dimittas

SALMO CXXXVIII.

Domine investigasti me, et cognovisti :
Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam : intellexisti malum meum de longè.
Semitam meam et accubationem meam eventilasti : et omnes vias meas intellexisti : quia non est eloquium in lingua mea.
Ecce Domine nosti omnia : retrorsum, et antè formasti me : et posuisti super me [2] manum tuam.
[3] Mirabilior est scientia à me, excelsior est, non potero ad eam.
Quò ibo à spiritu tuo, et quò à facie tua fugiam ?
Si ascendero in cœlum, ibi es tu : si jacuero in inferno, ades.
Si sumsero pennas diluculò : habitavero in novissimo maris.
Etiam ibi manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.
Si dixero, fortè tenebræ operient me : nox quoque lux erit circa me.
Nec tenebræ habent tenebras apud te, et nox quasi dies lucet : similes sunt tenebræ et lux.
Quia tu possedisti renes meos : orsusque es me in utero matris meæ.
Confitebor tibi, quoniam terribiliter magnificasti me : mirabilia opera tua, et anima mea novit nimis.
Non [4] sunt operta ossa mea à te, quibus factus sum in abscondito : imaginatus sum in novissimis terræ.
Informem adhuc me viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : dies formati sunt, et non est una in eis.
Mihi autem quàm honorabiles facti sunt [5] amici tui Deus, quàm fortes [6] pauperes eorum!
Dinumerabo eos, et arenâ plures erunt : evigilavi, et adhuc sum tecum.
Si occideris Deus impium : viri sanguinum declinate à me.
Qui contradicent tibi scelerate : elati sunt frustrà adversarii tui.
Nonne odientes te Domine odivi, et contra adversarios tuos [7] distabui.
Perfecto odio oderam illos : inimici facti sunt mihi.
Scrutare me Deus, et cognosce cor meum : proba me, et scito cogitationes meas.
Et vide si via doli in me est, et deduc me in via æterna.

SALMO CXXXIX.

Erue me Domine ab homine malo : à viris iniquis serva me.
Qui cogitaverunt malitias in corde : tota die versati sunt in præliis.
Exacuerunt linguam suam quasi serpens : venenum aspidis sub labiis eorum. SEMPER.
Custodi me Domine de manu impii, à viro iniquitatum serva me : qui cogitaverunt supplantare gressus meos.
Absconderunt superbi laqueum mihi, et funibus extenderunt rete : juxta semitam offendiculum posuerunt mihi. SEMPER.
Dixi Domino, Deus meus es tu : [8] audi Domine vocem deprecationis meæ.
Domine Deus fortitudo salutis meæ : protexisti caput meum in die belli.
Ne des Domine desideria impii : scelera ejus ne effundantur, et eleventur. SEMPER.
Amaritudo convivarum meorum : labor labiorum eorum operiet eos.
Cadent super eos carbones, [9] in ignem dejicies eos, in foveas, ut non consurgant.
Vir linguosus non dirigetur in terra, virum iniquum mala capient in interitum.
Scio quòd Dominus faciet causam inopis, judicia pauperum.
Attamen justi confitebuntur nomini tuo : habitabunt recti cum vultu tuo.

1 sæculum — 2 palmam — 3 Super me est scientia, et excelsior — 4 est opertum os meum à te, quo — 5 sodales — 6 principatus — 7 resistebam — 8 auribus percipe — 9 ignis : dejicies eos in foveas,

SALMO CXL.

Domine clamavi ad te, festina mihi : [1] exaudi vocem meam clamantis ad te.
Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio [2] manuum mearum sacrificium vespertinum.
Pone Domine custodiam ori meo : serva paupertatem labiorum meorum.
Ne declines cor meum in verbum malum, volvere cogitationes impias cum viris operantibus iniquitatem : neque comedere in deliciis eorum.
Corripiat me justus in misericordia, et arguet me, oleum amaritudinis non impinguet caput meum :
Quia adhuc oratio mea pro malitiis eorum : sublati sunt juxta petram judices eorum, et audient verba mea, quoniam decora sunt.
Sicut agricola quum scindit terram : sic dissipata sunt ossa nostra in ore inferni.
Quia ad te Domine Deus oculi mei : in te speravi, ne evacues animam meam.
Custodi me de manibus laquei, quem posuerunt mihi : de offendiculis operantium iniquitatem.
Incident in rete ejus impii : simul autem ego transibo.

SALMO CXLI.

Voce meâ ad Dominum clamavi : voce meâ ad Dominum deprecatus sum.
Effundam in conspectu ejus eloquium meum : tribulationem meam coram illo annuntiabo.
Quum anxius fuerit in me spiritus meus : tu enim nosti semitam meam in via hac quâ ambulabo, absconderunt laqueum mihi.
Respice ad dexteram, et vide quia non sit qui cognoscat me :
Periit fuga à me, et non est qui quærat animam meam.
Clamavi ad te Domine, dixi : Tu es spes mea, pars mea in terra viventium.
Ausculta deprecationem meam, quoniam infirmatus sum nimis.
Libera me à persequutoribus meis, quoniam confortati sunt super me.
Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo :
In me coronabuntur justi, quum retribueris mihi.

SALMO CXLII.

Domine exaudi orationem meam, [3] ausculta deprecationem meam in veritate tua; exaudi me in justitia tua.
Et non venias ad judicandum cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.
Persequutus est enim inimicus animam meam, confregit in terra vitam meam : [4] posuit me in tenebris, quasi mortuos [5] antiquos.
Et anxiatus fuit in me spiritus meus : in medio mei sollicitum fuit cor meum.
Recordabar dierum antiquorum, meditabar omnia opera tua : facta manuum tuarum loquebar.
Expandi manus meas ad te : anima mea quasi terra sitiens ad te. [a] SEMPER.
[6] Citò exaudi me Domine, defecit spiritus meus : ne abscondas faciem tuam à me, et comparabor descendentibus in lacum.
Fac me audire manè misericordiam tuam, quoniam in te confido :
Notam fac mihi viam in qua ambulem, quoniam ad te levavi animam meam.
Libera me de inimicis meis Domine : à te protectus sum.
Doce me ut faciam voluntatem tuam, quia tu Deus meus : spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

1 auribus percipe — 2 palmarum — 3 auribus percipe — 4 collocavit me in tenebris — 5 sæculi. — 6 Festina

a En esta version de S. Jerónimo, desde el Salmo III hasta este, se halla repetida al fin de algunos versículos la palabra SEMPER, que entre los Hebréos es *Sela*, y entre los Griegos *Diapsalma*. Y sin embargo de que el santo doctor le da varias interpretaciones en su Epístola á Marcela, que comienza : *Quæ accepisti reddenda sunt cum fœnore, etc.* puede decirse con S. Juan Crisóstomo, que la palabra SEMPER en el canto de los Salmos denota, que acabada una parte de él, seguia desde allí cantando otro coro, ó segun piensa Jansenio de Gante, era señal de que desde aquel versículo se mudaba ó levantaba en el canto el tono de la voz, conforme á la signification de la palabra griega διάψαλμα.

Propter nomen tuum Domine vivificabis me : in justitia tua educes de angustia animam meam.

Et in misericordia tua dissipabis inimicos meos, et perdes omnes [1] tribulantes animam meam : ego enim sum servus tuus.

SALMO CXLIII.

Benedictus Dominus fortis meus, qui docet manus meas ad prælium : digitos meos ad bellum.

Misericordia mea, et fortitudo mea, auxiliator meus, et salvator meus :

Scutum meum, et in ipso speravi : qui subjecit [2] populos mihi.

Domine quid est homo, quia cognoscis eum : filius hominis, quia computas eum?

Homo vanitati assimilatus est : dies ejus quasi umbra pertransiens.

Domine inclina cœlos tuos, et descende : tange montes, et fumigabunt.

Mica fulmine, et dissipa eos : mitte sagittam tuam : et [3] interfice illos.

Extende manum tuam de excelso : libera me, et erue me de aquis multis : de manu filiorum alienorum.

Quorum os loquutum est vanitatem, et dextera eorum, dextera mendacii.

Deus canticum novum cantabo tibi : in psalterio decachordo psallam tibi.

Qui dat salutem regibus, qui eruit David servum suum de gladio pessimo.

Libera me, et erue me de manu filiorum alienorum; quorum os loquutum est vanitatem : et dextera eorum, dextera mendacii.

Ut sint filii nostri quasi plantatio crescens in adolescentia sua :

Filiæ nostræ quasi anguli, ornati ad similitudinem templi.

Promtuaria nostra plena, et super effundentia ex hoc in illud :

Pecora nostra in millibus, et innumerabilia in compitis nostris.

[4] Tauri nostri pingues : non est interruptio, et non est egressus : et non est ululatus in plateis nostris.

Beatus populus cujus talia sunt : beatus populus cujus Dominus Deus suus.

SALMO CXLIV.

Exaltabo te Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in [5] æternum et ultrà.

In omni die benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in [6] sempiternum jugiter.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis : et magnificentiæ ejus non est investigatio.

Generatio ad generationem laudabit opera tua, et fortitudines tuas annuntiabunt.

Decorem gloriæ magnitudinis tuæ, et verba mirabilium tuorum loquar.

Et fortitudinem horribilium tuorum loquentur, et magnitudines tuas narrabunt.

Memoriam multæ bonitatis tuæ [7] loquentur; et justitias tuas laudabunt.

Clemens, et misericors Dominus : [8] patiens, et multæ miserationis.

Bonus Dominus omnibus, et misericordiæ ejus in universa opera ejus.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, et [9] sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent; et fortitudines tuas loquentur.

Ut ostendant filiis hominum fortitudines ejus, et gloriam decoris regni ejus.

Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, et potestas tua in omni generatione et generationem.

Sustentat Dominus omnes corruentes, et erigit omnes [10] jacentes.

Oculi omnium [11] in te sperant, et tu das eis escam suam in tempore [12] suo.

Aperis manus tuas, et [13] imples omne animal refectione.

Justus Dominus in omnibus viis suis, et [14] sanctus in omnibus operibus suis.

Juxtà est Dominus omnibus qui invocant eum : omnibus qui invocant illum in veritate.

Placitum timentium se faciet, et [15] clamorem eorum exaudiet, et salvabit eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se, et universos impios [16] conteret.

Laudem Domini loquetur os meum, et benedicet omnis caro nomini sancto ejus in [17] æternum, et jugiter.

1 ligantes — 2 populum sub me — 3 conturbabis — 4 Duces nostri portantes — 5 sæculum — 6 sæculum et ultrà. — 7 eructabunt — 8 tardus ad furorem, et magnæ misericordiæ. — 9 misericordes — 10 incurvatos — 11 ad — 12 eorum — 13 satias omnem virum placitè — 14 misericors — 15 deprecationem — 16 disperdet. — 17 sæculum, et ultrà.

SALMO CXLV.

Lauda anima mea Dominum : laudabo Dominum in vita mea : [1] cantabo Deo meo quamdiu sum.

Nolite confidere in principibus : in filio hominis cui non est salus.

Egredietur spiritus ejus, et revertetur in humum suam : in die illa peribunt cogitationes ejus.

Beatus cujus Deus Jacob auxiliator ejus : spes ejus in Domino Deo suo.

Qui fecit cœlos et terram : mare, et omnia quæ in eis sunt : et custodit veritatem in [2] sempiternum.

Qui facit judicium calumniam sustinentibus, et dat panem esurientibus.

Dominus solvit vinctos : Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit [3] allisos : Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet : et viam impiorum [4] conteret.

Regnabit Dominus in [5] æternum, Deus tuus Sion in generationem, et generationem. Alleluia.

SALMO CXLVI.

[6] Laudate Dominum, quoniam bonum est canticum Dei nostri : quoniam decorum est, pulchra laudatio.

[7] Ædificabit Jerusalem Dominus : ejectos Israël [8] congregabit.

Qui sanat contritos corde, et alligat [9] plagas eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum, et omnes nomine suo vocat.

Magnus [10] Dominus noster, et multus fortitudine : et prudentiæ ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus : humilians impios usque ad terram.

Canite Domino in confessione : [11] canite Deo nostro in cithara.

Qui operit cœlos nubibus, et præbet terræ pluviam, et oriri facit in montibus germen.

Qui dat jumentis panem suum : filiis corvi clamantibus.

Non est in fortitudine equi voluntas ejus : neque in tibiis viri placetur ei.

Placetur Domino in his qui timent eum, et exspectant misericordiam ejus.

SALMO CXLVII.

Lauda Jerusalem Dominum : cane Deum tuum Sion.

Quia confortavit vectes portarum tuarum : benedixit filiis tuis in medio tui.

Qui posuit terminum tuum pacem : adipe frumenti saturavit te.

Qui emittit eloquium suum terræ : velociter currit verbum ejus.

Qui dat nivem quasi lanam : pruinam quasi cinerem spargit.

Projicit glaciem suam quasi buccellas : ante faciem frigoris ejus quis stabit?

Mittet verbum suum, et solvet illa : spirabit spiritu suo, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob : præcepta sua, et judicia sua Israël.

Non fecit similiter omni genti, et judicia ejus non cognoscent. Alleluia.

SALMO CXLVIII.

Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus : laudate eum omnes exercitus ejus.

Laudate eum sol et luna : laudate eum omnes stellæ luminis.

Laudate eum cœli cœlorum, et aquæ quæ super cœlos sunt.

Laudent nomen Domini : quoniam ipse [12] mandavit et creata sunt.

Statuit ea in [13] sæculum, et in æternum : præceptum dedit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terra : dracones et omnes abyssi.

Ignis, et grando, nix, et glacies : ventus, turbo, quæ facitis sermonem ejus.

1 psallam — 2 sæculum. — 3 incurvatos — 4 pervertet. — 5 sæculum, — 6 Psallite — 7 Ædificans — 8 congregans — 9 dolores — 10 dominator — 11 psallite — 12 præcepit — 13 æternum sæculi,

Montes et omnes colles : lignum fructiferum, et universæ cedri.

Bestiæ, et universa jumenta : reptilia, et aves volantes.

Reges terræ, et omnes populi : principes et universi judices terræ.

Juvenes, et virgines : senes cum pueris laudent nomen Domini.

Quoniam sublime nomen ejus solius : gloria ejus in cœlo et in terra.

Et exaltavit cornu populi sui : laus omnibus [1] sanctis ejus, filiis Israël populo [2] appropinquanti sibi. Alleluia.

SALMO CXLIX.

Cantate Domino canticum novum : laus ejus in congregatione [3] sanctorum.

Lætetur Israël in factore suo : filii Sion exsultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : in tympano, et cithara [4] cantent ei.

Quia complacet sibi Dominus in populo suo : [5] exaltabit mansuetos in [6] Jesu.

Exaltabunt [7] sancti in gloria : laudabunt in cubilibus suis.

Exsultationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in gentibus : increpationes in [8] populis.

Ut alligent reges eorum catenis, et inclytos eorum compedibus ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum : decor est [9] omnium sanctorum ejus. Alleluia.

SALMO CL.

Laudate Dominum in sancto ejus, laudate eum in [10] fortitudine potentiæ ejus.

Laudate eum in fortitudinibus ejus : laudate eum juxta multitudinem magnificentiæ suæ.


Laudate eum in clangore buccinæ : laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis sonantibus : laudate eum in cymbalis [11] tinnientibus.

Omne quod spirat, laudet Dominum. Alleluia.

1 misericordibus — 2 propinquo — 3 misericordium. — 4 psallant — 5 glorificabit — 6 salutem. — 7 misericordes — 8 plebibus — 9 omnibus misericordibus — 10 firmamento fortitudinis — 11 jubilationis.



PARÁFRASIS DE LOS SALMOS.

SALMO I.

1. Dichoso, y bienaventurado aquel hombre, que no siguió el mal ejemplo, y persuasion de los impíos : que no se acostumbró, ni estuvo de asiento en el hábito de pecar, y no pervirtió á los otros con doctrinas, y máximas falsas y perversas : burlándose y despreciando toda correccion, y temor de los justos juicios de Dios.

2. Antes bien poniendo todo su conato, y voluntad en la puntual observancia de los divinos mandamientos, halla solamente su placer en meditarlos dia y noche.

3. Este tal, será semejante á un árbol plantado junto á las corrientes de las aguas, y dará sus frutos á su tiempo.

4. Y así como este conservará siempre verdes sus hojas, así á él se le convertirá en bien todo aquello, en que pusiese la mano.

5. Mas no así, no así la suerte de los impíos : serán como estériles plantas en árido terreno sin humedad y sin hojas : y los traerá y llevará el furor de sus pasiones, como el polvo, ó el tamo de la era es arrebatado del ímpetu del viento.

6. Por esto en el juicio final no podrán los impíos levantarse de muerte á gloria, ni tener lugar los pecadores en la compañía de los justos.

7. Por cuanto el Señor aprobará y calificará la conducta, y obras de los justos, confundiendo á los impíos, y castigando con eternas penas sus acciones maliciosas.

SALMO II.

1. ¿Porqué así se enfurecieron, y tumultuaron las naciones de los Gentiles? ¿Porqué los pueblos de Israël han dado lugar en su corazon á pensamientos y designios llenos de vanidad?

2. Levantáronse á una los reyes de la tierra, y coligáronse los príncipes de la sinagoga contra Dios Padre, y contra su unigénito Hijo, á quien él ungió por Rey.

3. Rompamos, dijeron, sus duras cadenas, de Dios y de Cristo, y sacudamos de nosotros este insufrible yugo, estas nuevas leyes, con que nos quieren sujetar.

4. Mas el que tiene su morada en lo mas alto de los cielos, se reirá y burlará de ellos, y hará inútiles todos sus esfuerzos.

5. Lleno de indignacion en el tiempo que tiene establecido, les hará sentir su terrible enojo, y deshaciendo todas sus inicuas tramas, los pondrá en la mayor consternacion, y vergüenza.

6. Vosotros, les dirá entonces el Ungido, vosotros, que rehusásteis sujetaros á mí, tened entendido, que yo soy aquel, á quien Dios mi Padre estableció Rey sobre su santo monte de Sion, para anunciar su eterno decreto, por el que me fué dada toda potestad en el cielo, y en la tierra.